

scriptum est disertissime & conceptissime; peccatum intravisse in Mundum, per legem perruptam ab Adamo: Imputatam fuisse transgressionem legis illius omnibus hominibus: & per transgressionem legis illius mortem pervasisse in omnes homines. Vnde innotescat; legem datam Adamo, tanquam generalissimam, & legem legum, Legem simpliciter dici & audiri debuisse hoc loco.

CAPUT III.

De quatuor hominum statibus: sub naturâ: sub lege: sub gratiâ: sub gloriâ. Tempus legis statuendum esse ab Adamo, non a Mose.

STATUS hominum optime partiti sunt, qui illos quadrifariam dividerunt, posueruntque hoc ordine: primum, sub naturâ: secundum, sub lege: tertium, sub gratiâ: ultimum, qui erit sub gloriâ. Allucinari mihi videntur qui numerant tempus legis à Mose, quod statui debuit ab Adamo. Tempus inquam legis illius de quâ hic deditâ operâ egit Apostolus. Locutus enim est de lege illâ, in cuius transgressionem homines omnes peccaverunt: & de illo homine qui legem illam perfregit, in quo mors pervasit in omnes homines. Quae omnino conveniunt legi datae Adamo ipsi: nullo modo autem legi Mosaicae, neque Mose ipsi. Iudaei enim soli peccaverunt in transgressionem legis Mosaicae. Iudaeos solos affatus est Deus cum legem illam Mosaicam promulgavit. Neque juste & iudice actum fuisset cum omnibus hominibus, si mors pervasisset ex transgressionem illius legis, in illos etiam homines quibus lex illa non data fuisset: atque adeo qui nullo pacto, & nullo foedere sancito, lege illâ tenebantur.

Moses certe missus fuerat Iudaeis solis; non ut in quo Iudaei

dei